



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

S.D.N. Pij Papæ V. Statutum, de fructibus, quos amittunt, qui horas  
Canonicas non recitant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo nono, Kal. Junij, Pontificatus nostri, Anno Quarto.

Cę. Glorierius.

S. D. N. Pij Papę V. Statutum, de fructibus, quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant.

*PIVS* Episcopus, seruus seruorum Dei,  
ad perpetuam rei memoriam.



**P**X proximo Lateranen. Concilio pia & salubris sanctio emanauit, ut quicumque habens beneficiũ Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij & temporis, suos non faciat: sed eos, tãquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogate teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratę predictę ratio sit habenda: Nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes, statuimus, ut qui horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui verò matutinum tantũ, dimidiam: qui cęteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partẽ fructuum eiusdẽ diei amittat: tamen si aliquis Choro adiectus, non recitans, omnibus horis Canonicis cũ alijs presens adsit, fructusque, & distributiones fortẽ aliter assignatas, sola presentia iuxta statuta consuetudinẽ, fundationem, vel aliã sibi lucrificissẽ pretendat. Is etiã preter fructuum, & distributionum amissionẽ: Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentũ ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarãtes prestimonia, prestimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omninõ seruitiũ habentia, obtinentes, cũ predictis pariter contineri. At quicunque pensionẽ fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, eũ modo predicto ad dicendũ officium paruum B. Marię Virginis decernimus obligatũ; & pensionũ, fructuum, rerumq; ipsarũ amissioni obnoxium.

noxium. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Dat. Romę Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo primo, Duodecimo Kal. Octobris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorietius.

S. D. N. D. GREGORII PAPAE XIII.  
C O N S T I T U T I O.

Ne Agnus Dei benedicti minio inficiantur,  
nec venales proponantur.

GREGORIVS Episcopus, servus servorum Dei,  
ad perpetuam rei memoriam.



Mni certe studio & opera à nobis procurandum est, ut ea tollantur, quæ non conveniunt, ac nostrum & aliorum bonorum piorumque Christi fidelium animos offendunt. Itaque providè considerantes certas formas innocentissimi Agni imagine figuratas, & per Romanos Pontifices statis temporibus consecrari solitas, sicut Agni puri & mundi à Summo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus postmodum immaculatas, nõ autem raro & coloribus vllis depictas, sed in sua albedinis munditię sanctificatas congruenti cum reuerentia teneri & conservari debere: Statuimus & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, prohibemus & interdiciamus, ne quispiam siue vir, siue mulier, Sæcularis aut Ecclesiastici, etiam Regularis, Ordinis ille sit, & quocumque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnos Dei per Romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquẽ illis imponere, aut quidquam, aliud superinducere, neque depingi, aut minari facere, nec illos venales proponere, seu tenere quouis prætextu, qualibet uè de causa audeat: verum eos albos, & mundos, Agnum illum purum & innocentem representantes  
qui